

1231

bem venit, Ardizonio cum navibus, quæ ad hos casus in portu paratæ erant, missæ, qui venienti hosti se se, si e Republica id factum viderentur, objiceret. Interim Vatazani Sudæ portum tenuerunt. Eo Venetæ triremes subito delatae, hostem jam portum tenentem, tumultuose invadunt. Expediunt continuo se se Græci ad pugnam; quod ipsum quia præ loci angustia non satis commode siebat, tormentis bellicis, omnique telorum genere procul arcent inimicam classem. Proximi accolæ, qui sub primum tumultum præsto suis affuere, rem Græcam non mediocriter juverunt; toto namque littore oppidani, & reliqua agrestium manus, aderant, Venetum missilibus incessentes. Protracta erat in meridiem pugna, quum Ardizonius legatus graviter vulneratus cani jussit receptui. Erat in animo Venetis, postridie in pugnam redire: quod Græci veriti, silentio noctis portu egressi in altum abidere. Dum hæc a legatis geruntur, Angelus Gradonicus Dux in insulam applicuit. Hujus auspiciis Subrites in fidem his conditionibus rediere, ut vivos traderent, aut si id minus præstari posset, obtruncarent, Emanuelem Dracontopulum cum Constantino ejus fratre, defectionum auctores, & quibus salvis, apparebat insulæ statum nunquam in ocio futurum. Cæterum ut Calotheti & Anatholici, qui genus ab antiquis Græciæ Imperatoribus se ducere gloriabantur, exules essent, trintaque Subritum familiæ illustres Bonifacii oppidum incolerent. Atque ita Cretensium rebus compositis, illi qui oppidum tenebant, quod Nicolai dicitur (erant enim adhuc in Creta Vatazi præsidia) ditionem fecerunt.

1233  
*De rebus in  
Gracia ge-  
sis.*

Sed jam tempus est, ut ex Cretensibus rebus ad alia transeamus, quæ per hæc tempora & in Græciæ continent, & circa ipsas insulas gesta dicuntur: quæ ut his majora fuere, ita graviorem Venetis curam injecerunt. Nam ex quo novum fœdus, novaque, ut vulgo ferebatur, affinitas Hexagonarum Regis & Joannis Vatazi cognita est, quos rumor erat communi nomine Byzantii Imperium totis viribus oppugnaturos: motus ea re Joannes Hierosolymitanus

Rex,